



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ Januarii.

M. JACOBO SIMONE GILLES DE LA RIVIERE, Doctore Medico, Præside.

An hydropicæ prægnanti tuta κάθαρσις?

I.

INTERTURBATAM chylosis œconomiam quod sequitur vitium, hæmatoseos depravatæ nomen habet. Quod depravatam hæmatosim cum superfluâ humiditate totum aut illius partes tumefaciente hydrops communiter vocatur: errant proculdubio, qui propriæ, hepatis potiùs quam sanguinis massæ diathesi ascribunt illud morbi genus; is in mortales ita sævit aliquando grassaturve, ut mulieri etiam prægnanti haud parcat: hanc autem propagatione naturali licet implicitam videas. Quibusvis tamen contra naturam affectibus obnoxia redditur, hydropi præsertim, ob nimiam quâ tunc temporis scatet ejusdem cruoris massa, crudorum succorum redundantiam; adeò ut juxta simul ac præter naturæ leges prægnans sit mulier fœtu & fœturâ hydropicâ: morbus est hydrops in auctâ supra modum magnitudine, vel totius corporis vel quarumdam partium. Hujus tres assignantur species, anasarca, ascytes, tympania. Prima phlegmate per carnosum genus sub cutem effuso, atque intra glandularum poros, fibrarumve interstitia velut incuneato tumefacit totam molem corporis. Secunda veri (de quo hic præcipuè audimus) hydropis nomine indigitata, aquosi serosique humoris affluxu viscerum cavitates implens aluinæ regionis capacitatem adauget. Tertia & ultima (hydrops siccus) immeritò vocata, non flatuum interventu (hujûs sanè morbi effectûs, magis quam causæ) sed partium membranosarum inflatione spasmodicâ abdomen violenter distentat; hæc uulgò colicarum, hystericarumve passionum fidelis comes, aut assecla, eamdem cum ipsis agnoscit causam, spirituum nempe animalium

huc illuc per fibras nerveas impetuosam irruptionem : cujuslibet curationi incumbere quisquis voluerit, priùs causas scrutetur diligenter, hasque citò ac jucundè debellet.

II.

HYDROPEM in communi externæ sæpiùs generant causæ, ut alimenta dyspepta; vehementes tum corporis, tum animi motus statim à pastu, larga meri potio, haustus aquæ, aliusve liquoris nimius, isque frigidus, dum viscera summè æstuant : hæc omnia pravam in sanguine διάθεσιν inducunt; humores exinde factos crassiores, ac heterogeneos non amplius valent secernere colatoria, succique nutritii recreandis partibus inepti absolutè refluunt per vasa, versus peripheriam corporis, aut regionem alvi. Ubi fædam excrementorum ἀποθεσιν promovent : ab internis verò plerumque hydropicus producitur affectus schirrosis videlicet tumoribus, gangliis, tuberculis, aliisve præter naturam concretionibus, circa renes, mesenterii glandulas, hepar, lienem, uterum & alia quævis viscera; hinc in istis locis vasa obstrui, vel fortiter comprimi necessum est : Propterea sanguis in suo circuitu præpeditus quoquo modo reduci queat; pars tenuior & crudior priùs per urinas amandabilis relictâ ejusdem compage viam sibi molitur extra vasa : nec immunes etiam à causis manent, febris quartana, icterus, chlorosis, cachexia, immodicæ, per nares, menstrua, hæmorrhoidas, aut phlebotomiam in febribus ardentibus sanguinis vacuationes; queis interdum hydrops supervenit; Cruor enim longâ depressione laborans hoc est particulis activioribus sanguificis jamdiu expers, succum nutritium massæ suæ jugiter infusum, nec ritè fermentare, nec ut antea sibimet assimilare potest, sed in laticem aquosum ferè omnem perverti finit; is deindè paulatim per dehiscentia vasorum oscula in carnium poros, aut viscerum cavitates effunditur : hydropis causas, ut & symptomata, corporis segnitiem, ejusve colorem vitiatum à cacochymiæ dominio, dyspnœam, sitim, anorexiam, lentam febrim, selectissimis non rarò præsidiis vix obtemperantia; κάθαρσι citiùs tutiùsque sanabis.

III.

ΚΑ΄ΘΑΡΣΙΣ eorum quæ qualitate simul ac quantitate peccant, vacuatio. Mitiori vel vehementiori pharmaco solet institui; illud naturis delicatioribus (quales fœminæ prægnantes) conveniens citra ullum molestiæ sensum; Intra primas vias vim suam exerit vicinas duntaxat superfluitates cum alvi fœcibus, sensim foris abripiendo; hoc verò robustiora quidem temperamenta (ut viros) spectans, non sine tumultu & perturbatione quâdam obvios ubicunque

humores aggreditur, atque è locis remotioribus, in inteſtinorum cavitates exundare facit. Dictu abſurdum foret medicamina ulla, ob ſubſtantiæ ſimilitudinem, inſitâque familiaritate (uti fabulatur medicorum vulgus) determinatos quoſdam humores attrahendo, hos peculiares ac ſinceros dein expurgare; ratio ſiquidem autopſiæ innixa, nos docet vim omnem catharticorum diverſæ potiùs, tùm in viſceribus irritationi, tùm fermentationi eorumdem, cum ſanguine aliiſve humoribus referri, juxta quod particulas ſulphureo ſalinas, habent, volatiles magis, aut fixas, lenes, aut acriores; indè conſequenter promptæ, vel tardæ ſunt operationis, dejectiones etiàm modò ſeroſas, modo bilioſas excitant pro variâ corporum conſtitutione, humorumve craſi; porrò legitimus purgandi modus, ut remedii genere, qualitate, & utendi ratione conſtituitur; ità ex affectûs ſpecie, remedii ſpecies innoteſcit. Ex illius magnitudine, ejuſdem quantitas ſeu doſis; ex partium tandem conditione, humorumve peccantium ſitu, viæ per quas, citò, tutò, ac jucundè eliminentur perveſtigandæ.

IV.

OMNIS hydrops in prægnante maximi ſemper ponderis, ac momenti: etenim præter varia, quæ graviditatem ſequi ſolent incommoda, ut nauſeas, vomitus, cardialgias, animi deliquia, ventris ac lumborum cruciatus, cephalalgias pertinaces, crurum debilitatem, laſſitudines, aliaque bene multa; diros adhuc malignitatis ſuæ procreat ſymbolos; hinc v. g. tuſſis adveniens, malum cenſetur à Medico (judice Hipocrate) tranſudante quidem in pectus, mox in fauces ſeroſo humore, ſuffocationis brevi inducitur periculum: *Afferat ipſe licet ſacras epidaurius herbas:* Huic exacta debetur curandi methodus duas potiſſimùm velut fundamenta habens indicationes, collecti ſcilicet ſeroſi laticis vacuationem, alteriuſve novi prohibendam generationem: prohiberi poteſt humoris dicta generatio, partim ſicco, & attenuante victu, partim aſſumptis, nutritioni dicatas partes corroborantibus præſidiis; at collectus humor, per alvum magis, quàm per ſudores, aut urinas, blandioribus reverà catharticis eliminari poſtulat. Quare incipienti hydropi aquoſus alvi fluxus ſuperveniens ſolvit morbum *: ſolo namque hoc vacuationis genere, mediantibus quidem porulis vaſorum, glandularumve ubique in inteſtinorum cavitates dehiſcentium, promptiùs exhauritur ſeroſa illuvies, foras deinceps per anum amandanda; ſicque melioribus ægrotantis rebus curatio ſuccedit: prælibatis igitur venæ ſectione, ſi nimia ſit ſanguinis efferveſcentia, enematis, ſi dura alvi regio; diureticis quoquè, ſi verſus renes ac veſicam magna ſeri urgeat quantitas: in qualibet hydropis ſpecie, mitiora tutò cathartica prægnanti præſcribere potis eſt.

*Ex Hypocrate lib. 6°. ſect. 2. Aphoriſ 32. in codice Hollerii.

V.

CONCESSAM hydropi κάθαρσιν, quis in arte medendi tam peregrinus ut credat, graviditatem respuere : Ecquid mirum? Putet nè, (ut aiunt) à qualibet corporis concussione abortivum sœpiùs promoveri puerperium : apprimè audiat celebre illud (divini senis) effatum : prægnantes à quarto ad septimum mensem purgandas esse; modò turgeant in iis humores *: Itaque cum hydropicæ prægnantis corpus totum, vel abdomen, & ipse uterus, cacochymâ seri, tùm in vasis, tùm extra vasa quantitate sint turgida; serum insuper tenue ac mobile, ex leviori causâ orgasmum concipiens, facilè cedat succutienti pharmaco : tuto quolibet gestationis tempore hujus redundantiam benignè vacuabis (mannâ, v. g. sambuco, pulvere cornachini, resinâ jalappæ, agarico &c.) natura siquidem convenientibus hisce irritata catharticis, in superfluas & gravantes tot humiditates eliminandas statim incumbens genio suo non defraudatur; imo totam corporis habitus, aut regionis alvi saburram, sensim sine sensu exonerat : alioqui mulier jam fœtus pondere obruta, ni contentorum præter naturam, fluxu excretorio levaretur, graviori deinceps cederet oneri; solus quippe à redundantis seri colluvie (& matri & fœtui) extinctionis superest metus. Vel saltem imbutis jamdiu sero, atque laxatis uteri membranis ac ligamentis, evidens abortûs periculum imminet : artis igitur beneficio, hoc est catharseos pluries adhibitæ interventu : tot tantaque præcaventur symptomata; mulier prægnans ab illo præternaturali sublevatur onere; ut à naturali tandem, secundùm naturæ leges, liberari valeat.

* *Aphoris. 1. sect. 4.*

Ergo hydropicæ prægnanti tuta κάθαρσις.

Domini Doctores disputaturi.

M. Antonius le Clerc.
M. Petrus Jacquemier.
M. Philippus Hecquet, Pharmaciæ Professor.
M. Joannes-Baptista Chomel.
M. Honoratus Michelet.
M. Josephus Pitton Tournefort.
M. Petrus Paulus Guyart.
M. Franciscus le Rat.
M. Ludovicus Labbé.

Proponebat Parisiis MICHAEL LUDOVICUS RENEAUME DE LA GARANNE Blesensis, Baccalaureus Medicus, è Regiâ Scientiarum Academiâ. A. R. S. H. 1700.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.